UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

69. An mortuo Episcopo, quilibet sacerdos possit absolvere à casibus sibi reservatis? Et quid est, dicendum, si casus sint reservati per statutum, vel legem synodalem? Et an si in mandatis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76393

Visual Library

Et an, ſi ſubditus petat à Prælato omnem eius authoritatem pro vna vice, & vna perſona ſibi ſubiecta, includatur ipſe petens, ita vt poſſit abſolui à reſeruatis ab aliquo alio Confeſſario?

Idem eſt dicendum de diſpenſatione, ac de abſolutione.

Ex part. 3. tract. 4. Reſ. 141. aliàs 142.

§. 1. NEgatiuam ſententiam mordicus tenet Iacobus de Graſſis *in appen. ad deciſ. aur. lib. 3. cap. 8. num.* 22. Primò ex præſumpta mente Prælati, quæ magis attendenda eſt, quàm verba ex *l. de quibus, ff. de legibus.* Sed interrogatus Epiſcopus à Vicario, an etiam illa auctoritate vti poſſet, diceret quòd non, quia ſi ſecus eſſet perniciosum eſſet concedenti, quia ſic poſſet dare occaſionem peccandi, & qui occaſionem peccandi dat, ipſe damnum dediſſe videtur; vnde ne hoc abſurdum accidat, dicendum eſt, verba generalia arctari, vt non comprehendatur perniciosum concedenti, ex *l. ſi cui, ff. de ſeruit.* Secundò, verba generalia arctantur ſemper ad ſolita concedi, ex *l. ſi finita, ff de damno infect.* & ad id quod eſt de iure, vt notat gloſſa *in cap. fin. verſ. negotiis, de offic. deleg.* ſed ſemper poteſtas abſoluendi cum poteſtate ſubdelegandi intelligitur data in perſonam aliorum, & nemo poteſt auctorizare ſeipſum, ex *cap. qualiter, de elect.* & in generali ſermone excipitur perſona cui loquimur, *qui hæredi §. Plautius, ver. at ſi hæres, ff. de cond. & demonſt.* Ergo, &c. etiam dictus Graffius idem aſſerit de priore habente poteſtatem à Prælato abſoluendi caſus reſeruatos, cum poteſtate ſubdelegandi, putat enim, ſicut de Vicario Epiſcopi aſſeruit, ſi incidat in aliquem caſum reſeruatum, non poſſe ab illo, quem ipſe ſubdelegauerit, abſolui.

2. His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam docent Vgolinus *de poteſt. Epiſc. cap. 39. n. 2.* & Floronus *de caſ. reſeru. part. 1. c. 3 §. 1 n. 3.* Nam & Epiſcopus, ſi in caſum incidit reſeruatum Romano Pontifici, quo ipſe alios abſoluere poteſt, delegando eam facultatem alteri, ab eo abſolui valet, atque ita ſacra Cardinalium Congregatio declarauit, Tridentinum Concilium *in ſeſſ. 24. de refert. c. 6.* & ita communiter aſſerunt Doctores, Maiolus *de irregular. lib. 5. c. 21. n. 7.* Suarez *tom. 4. diſp. 41. ſect. 2. n. 9.* Henriquez *lib. 14 c. 18 n. 3.* Sayrus *de cenſ. lib. 7. c. 9. n. 5.* Riccius *in praxi, part. 1. reſol. 445. n. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 3. n. 3. & in ſumm. tom. 1 lib. 2. c. 11. num. 11.* Bellettus *in diſquiſ. cler. part. 1 tit. de diſciplina Clericali. §. 1 num.* 54. Naldus *in ſumma, ver. caſus, n. 6.* Emmanuel Sà *ver. confeſſor. num.* 16. & alij, quidquid in contrarium aſſerat Marius Alterius *de cenſ. tom. 2. diſp 8. c. 3. concl. 4. ver. 3.* Quæri poteſt in ordine ad diſpenſationem, ſicut loquuntur etiam multi ex *ſuprà* citatis Doctoribus, idem dicendum de diſpenſatione, ac de abſolutione.

3. Nec valet dicere in tali caſu, Vicarium ſeipſum quodammodo abſoluere, cùm delegatus delegantis officio fungatur. Nam reſpondeo, quòd id locum haberet, vbi iuriſdictio delegata eſt ab eo, cui iuriſdictio competit ordinaria, at Vicarius hîc ſubdelegat, ſubdelegatus autem fungitur vice primi delegantis, ac perinde eſt, ac ſi ipſe primò delegans delegaſſet, quo caſu ſine dubitatione Vicarius abſolui poſſet. Et idem dicendum eſt de Priore, qui vt vicarius ab Epiſcopo talem poteſtatem habuit à Prælato ſui Monaſterij; nam ſi in aliquem caſum inciderit, poteſt ab alio Confeſſario ſubdelegato, de illo abſolutionem obtinere ſine licentia Prælati.

4. Sed ponam hîc pulchrum dubium, an ſi ſubditus petat à Prælato omnem eius auctoritatem pro vna vice, & vna perſona ſibi ſubiecta includatur ipſe petens, ita vt poſſit abſolui à reſeruatis ab aliquo Confeſſario? Videtur affirmatiuè reſpondendum, ſi petens diceret: Eſt quædam perſona, quæ indiget veſtra auctoritate, placétne vobis illam mihi dare? Secus autem ſi diceret: Rogo te, vt des mihi tuam facultatem pro vna perſona. Et ratio eſt, quia in generali ſermone comprehenditur etiam perſona ſua, quando loquens concipit verba in perſona alterius, vt patet ex *l. Paulus reſpondit, §. fin. ff. de pignoribus.* Et ita hanc ſententiam videtur tenere Floronus *vbi ſuprà*, ex Graffio, qui tamen contrarium docet. Sed poſt hæc ſcripta inueni Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 9. diffic. 64. num. 4.* circa præſens dubium ſic aſſerere. [*Quando el Prelado concede à vno la autoridad ſin reſtrincion ninguna, es viſto concederla actiua y paſſiua, que aunque algunos dudan deſto, es mas conforme al eſtilo de la Religion, mientras el Prelado no declara otra coſa.*] Sic ille; & nouiſſimè noſter Pater Leone *de off. & poteſt. Confeſſ. tom. 2. recollect. 6. num.* 131. aſſerit, quòd quando ſubditus petit facultatem à Superiore pro vna perſona pro caſibus reſeruatis, poteſt vti pro ſua perſona.

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Reſ. 109. §. Notandũ. curſim, in fine, & in Reſ. 121. §. 1.

RESOL. LXVIII.

An mortuo Epiſcopo caſus reſeruati expirent, vt poſſint abſolui à quocumque Confeſſario?

Et quid, ſi caſus reſeruati ſint per Statutum, vel Synodum Diœceſanam; aut qui iure, vel conſuetudine ipſi Epiſcopo reſeruantur; an abſolutio petenda ſit à Succeſſore, ſeu Capitulo, Sede vacante? Ex part. 4. tr. 4. & Miſc. Reſ. 108.

§. 1. AD hoc dubium ita reſpondet Præpoſ. *in addit. ad 3. part. quæſt. 9. de reſeruatione caſuum, dub. 1. n 6.* Cenſet Sà *ver. abſolutio, n.* 21. mortuo Epiſcopo quemlibet Confeſſarium poſſe abſoluere à caſibus ipſi reſeruatis, quod non videtur ſolidum, & primò id non videtur poſſe dici de reſeruatis per ſtatutum, cùm etiam mortuo Epiſcopo illud vim ſuam retinere ſoleat. Secundò neque de reſeruatis ab homine, quia per reſeruationem inferiori ſublata eſt iuriſdictio neceſſaria ad valorem huius Sacramenti; non poteſt autem ex iure, vel alio ſolido fundamento colligi, quòd ea per mortem Epiſcopi reſtituatur. Sic ille.

Sup. contẽto in hac Reſ. in § 1. & 2. Reſ. ſeq. & quamuis pro Regularibus in to. 7. tr. 1. lege doctrinã Reſ. 119.

2. Verùm hæc doctrina Præpoſiti admittitur ab aliis, quoad caſus reſeruatos per Statutum, vel Synodum Diœceſanam: ſecus autem minimè, & ita docet Gauantus *in enchir. Epiſc. ver. caſus reſeruati, num.* 16. Rubeus *in aphoriſ. Epiſc. ver. caſus reſeruati, numero* 4. & Piaſecius *in praxi nouiſſ. Epiſcop. part. 2. cap. 1. art. 3. numero* 21. vbi ita ait. Caſus quos Epiſcopus ſibi reſeruat, expirant morte ipſius, non verò illi, qui de iure, vel conſuetudine ipſi reſeruantur, neque illi, quos per proprium ſtatutum ſibi reſeruat; cùm enim ſtatutum duret poſt mortem, *cap. fin. de offic. leg.* reſeruatio quoque durabit, & abſolutio petenda eſt à ſucceſſore, ſeu Capitulo Sede vacante. Hæc ille. Vide etiam Ægidium Trullench *in Bull. Cruciat lib.* 1. §. 7. *cap. 2. dub. 2. num. 6.*

RESOL. LXIX.

An, mortuo Epiſcopo, quilibet Sacerdos poſſit abſoluere à caſibus ſibi reſeruatis?

Et quid eſt dicendum, ſi caſus ſint reſeruati per ſtatutum, vel legem Synodalem?

Et an ſi in mandatis Viſitationum Epiſcopi reſeruent ſibi aliqua peccata, ſiue cum excommunicatione, ſiue ſine illa, exſpiret reſeruatio, mortuo Epiſcopo?

Idem eſt dicendum de Viſitationibus Prouincialium Religionum.

Et an ſupradicta intelligantur quoad illos qui in vita condentis Epiſcopi, vel Prouincialis Regularium prædictam cenſuram, aut reſeruationem, non incurrerunt; nam ſi adhuc viuente Epiſcopo incurſæ ſunt tunc quidem reſeruatio, & excommunicatio adhuc durat, mortuo Epiſcopo, aut Prælato Regularium? Ex part. 6. tr. 6. & Miſc 1. Reſ. 41.

Sup. contento in hoc & ſeq. § in Reſ. prætérita per totá & quãuis pro Regularibus in tom. 7. tr. 1. lege doctrinam Reſ. 119.

§. 1. AD hanc dubitationem Præpoſitus *in 3. part. q. 9. de reſeru. caſ. dub. 1. numero 6.* ſic reſpondet. Sà *verb. abſolutio, num. 21.* cenſet mortuo Epiſcopo quemlibet Confeſſarium poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis, quod non videtur ſolidum. Et primùm id non videtur poſſe dici de reſeruatis per ſtatutum; cùm etiam mortuo Epiſcopo illud vim ſuam renere ſoleat. Secundò neque de reſeruatis ab homine, quia per reſeruationem inferiori ſublata eſt iuriſdictio neceſſaria ad valorem huius Sacramenti non poteſt autem ex iure, vel alio ſolido fundamento colligi, quòd ea per mortem Epiſcopi reſtituatur. Ita Præpoſitus.

2. Cui quoad primum libenter adhæreo, non autem quoad ſecundum: nam omnes Doctores aſſerunt reſeruationem factam per legem, aut ſtatutum Synodale differre à reſeruatione perſonali: quia reſeruatio facta per legem non expirat morte reſeruantis; quia lex ſemper loquitur: & de ſe eſt perpetua, niſi abeat in deſuetudinem: reſeruatio verò perſonalis expirat morte reſeruantis; ergo mortuo Epiſcopo quilibet Sacerdos poterit abſoluere caſus reſeruatos reſeruatione perſonali, quia expirauit dicta reſeruatio, ergo in illos habet iuriſdictionem. Et ita hanc ſententiam docet Fagundez *part. 2. lib. 8. cap. 1. num. 30.* Sanchez *de matrimonio, lib. 8. diſp. 28. num. 63.* & alij.

3. Notandum eſt etiam ex his obiter, quòd ſi in mandatis Viſitationum Epiſcopi reſeruent ſibi aliqua peccata, ſiue cum excommunicatione, ſiue ſine illa expirat tamen reſeruatio mortuo Epiſcopo, quod intelligendum eſt, quoad illos, qui in vita condentis Epiſcopi prædictam cenſuram, v. g. non incurrerunt: nam ſi adhuc viuente ipſo incurſæ ſunt, tunc quidem reſeruatio adhuc durat. Et idem dicendum eſt de Viſitationibus Prouincialium Religionum, quia hæ non durant, niſi quandiu ipſi Prouinciales durant in officio. Ita ex Nauarro, Fagundez *vbi ſuprà.* Et ratio huius ſententiæ eſt, quia ordinationes latæ in mandatis Viſitationum ſunt mandata generalia aut ſpecialia hominum, & ſic expirant mortuo latore.

In indice primo huius Tom. 1. lege Apendicem ad hunc Tract. 5. vbi inuenies alias multas Diffic. miſtas, & diſperſas per alios Tom. Tract. & Reſ. quæ ſimul pertinent ad hunc Tract. 8. de Reſeruatis & eorum Abſolutione.

TRACTATVS VI.
DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

RESOL. I.

An Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam ante abſolutionem?

Et an conſuetudo, vt prius imponatur pœnitentia, quam pœnitens abſoluatur, nullam inducat obligationem? Ex part. 5. tr. 13. & Miſc. 1. Reſ. 36.

§. 1. AEfirmatiuè reſpondet gloſſa *in Clement. dudũ, de ſepult. verb. audire*, quia in eo textu pœnitentia prius imponitur, quàm abſoluatur pœnitens, & ita conſuetudo inualuit, vt patet: ergo, &c.

2. Sed dicendum eſt liberum eſſe Confeſſario poſt abſolutionem etiam imponere ſatisfactionem. Probatur ex *cap. finali, de cenſibus in 6.* vbi ſic dicitur: Poteſt Archiepiſcopus dum viſitat, confeſſiones ſuffraganeorum audire, ac abſoluere confitentes, ipſiſque ſalutares iniungere pœnitentias. Sic ibi: Igitur poteſt Confeſſarius ante & poſt abſolutionem, pœnitentiam imponere, vt patet ex dictis iuribus, licèt conſuetudo iam obtinuerit, tanquam quid melius, vt prius imponatur pœnitentia, quàm pœnitens abſoluatur à peccatis. Nota tamen dictam conſuetudinem nullam induxiſſe obligationem, vt rectè notat Ochagauia *de Sacrament. tract. vlt. de pœnit. quæſt. 10. num. 7.*

Sup. hac. conſuetudine infra in Reſ. 48. § vlt.

RESOL. II.

An pœnitens teneatur acceptare iniunctam à Confeſſario pœnitentiam, ſub onere peccati mortalis?

Et an Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitentem, nolentem acceptare iniunctam pœnitentiam?

Et quid ſi pœnitens non reſpueret omnem pœnitentiam, ſec aliqualem, licet paruam, vt vnum Pater noſter *acceptet?* Ex part. 2. tractat. 15. & Miſc. 1. Reſ. 52.

§. 1. ITa affirmatiuè reſpondendum videtur aliquibus, vt improbabilem negantem ſententiam iudicet Nugnus *in 3. part. tom. 2. q. 15. art. 1. & q. 13. art. 2. difficult. 2. concl. 1.* plus addit Suarez *in 3. p. tom. 4. diſput. 38. ſect. 7. num. 2.* & Coriolanus *tract. caſ. reſeru. p. 1. ſect. 3. concl. 16. num. 3.* cum aliis. Imò Vaſq. *in 3. p. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 1. num. 5.* de fide hanc ſententiam definitam eſſe exiſtimat, quod antea docuerat Victoria *in ſum. num. 209.* Et ſic præter DD. antiquos, ferè omnes neoterici aſſerunt pœnitentem, ſub onere peccati mortalis, debere acceptare iniunctam pœnitentiam à Confeſſario. Ita docet Sanctarell. *tract. de Blaſphemia c. 7. dub. 1. nu. 8. in fin.* Valent. *tom. 4. diſput. 7. q. 14. punct. 4* Sylu. *in 3. p. q. 18. art. 3. dub. 3.* Fagundez *de præcept. Eccl. tr. 2. lib. 2. c. 3. num. 18.* Tolet. *in ſum. lib. 3. c. 9. numer. 3.* Henriq. *lib. 2. c. 3. num. 11.* Bellar. *de pœnit. lib. 4. c. 13.* Filliuc. *tom. 1. tr. 8. c. 2. q. 8. num. 53.* Ledeſma *in ſum. tom. 1. de pœnit. c. 23. concl. 8. dub. 1.* Bonac. *de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 4. num. 1.* Megala *in 1. p. lib. 6. c. 3. num. 3.* Coninch *de Sacramentis, diſp. 10. dub. 9. num. 79.* Villalobos *vbi infrà*, & alij DD. afferunt pro hac ſententia multas rationes, ſed præcipuè authoritatem Concilij Tridentini, aſſerentis, Sacerdotes habere poteſtatem ligandi, ſed ſi pœnitens poſſet reſpuere pœnitentiam, Sacerdos non haberet ralem poteſtatem. Ergo, &c.

2. His tamen non obſtantibus, non deſunt Doctores, qui poſt Concilium Tridentinum, contrariam docuere ſententiam. Hi ſunt Greg. Ruys *in contr. ſup. 4. ſent. cõt. 94.* Raphaël de Cæſare *in conſol. anim. dial. 8.*